Coll. soc. Jesu Louany.

4

BAPTISTES, SIVE CALVMNIA, TRAGOEDIA, AVCTORE GEORGIO BVCHANANO Scoto.

12/3.9.12
40

Ex D.D. Jasp. Lurway.

LONDINI.

Et prostant Antuerpiæ apud Iacobum Henricium.

M. D. LXXVIII.

38
12 12
305

GEORGIVS BVCHANANVS, IACOBO SEXTO, SCOTORVM REGI

S. P. D.

CVM omnes mei libelli, postquam tibi erudiendo sum appositus, ad te familiariter accedunt, salutant, confabulantur, & in tuæ clientelæ vmbra conquiescunt, tum hic meus Baptistes pluribus de causis, tui nominis patrocinium, audentius sibi poscere videtur: quòd meus, quanquam abortiuus, tamen primus est fœtus, & ad adolescentes a vulgari fabularum scenicarum consuetudine ad imitationem

nem antiquitatis prouocet: & ad pietatis ſtudium, quod tum vbique fere exagitabatur, animos excitare pro virili contendat. Illud autem peculiarius ad te videri poteſt ſpectare, quod tyrannorum cruciatus, & cum florere maxime videntur miſerias dilucidè exponat. Quod te nunc intelligere non conducibile modo, ſed etiam neceſſariùm exiſtimo: vt maturè odiſſe incipias, quod tibi ſemper eſt fugiendum. Volo etiam hunc libellum apud poſteros teſtem fore, ſi quid aliquando prauis conſultoribus impulſus, vel regni licentia rectam educationem ſuperante ſecus committas, non præceptoribus, ſed tibi, qui eis rectè monentibus non ſis obſecutus, id vitio vertendum eſſe. Det Dominus meliora, & quod eſt apud tuum Salluſtium, tibi bene facere ex conſuetudine

ſuetudine in naturam vertat. Quod equidem cum multis & ſpero, & opto, Vale. Sterlino ad Calend. Nouembres. 1576.

PERSONÆ.

Prologus.
Malchus Phariſæus.
Gamaliel Phariſæus.
Ioannes Baptiſta.
Chorus Iudæorum.
Herodes Rex.
Herodias Regina.
Reginæ filia.
Nuntius.

PROLOGVS.

VEteres poëtæ, falubantur Protea
Quendam fuisse, in omnes qui se verteret
Formas, nec vllis contineri vinculis
Posset, liquentes nunc in æquas dum fluit,
Nunc flamma stridet; nunc ferus rugit leo,
Viret arbor, horret vrsus, anguis sibilat,
In cuncta rerum transiens miracula.
At ego profecto, fabulam istam comperi
Longè Sibillæ veriorem oraculis.
Nam quot quot homines video, tot me Proteos
Videre vultus credo qui sumant nouos,
Seseq; vertant in figuras quaslibet.
Subiecta quorum maxime calumnijs
Fortuna semper Scenici est spectaculi.
Nam si vetustam fabulam quis proferat
Turbant molesti, tussiunt, & nauseant.
At si nouam quis attulit tum protinus
Vetera requirunt, comprobant, laudant, amant.
Illiberali respuunt fastidio
Noua, & priusquam noscere queant exigunt.
Rectèq; dicta interpretationibus
Vitiant malignis: omnia in peius trahunt
Ipsiq; somno dediti, ac ignauiæ,
Vacui laboris, inuident laboribus

Aliorum, & omnem collocant operam ſuam
Vt deprehendant quod queant reprehendere.
Si quis ſit error anteuortunt Lyncea
Viſu, notaq́ perlinunt cenſoria.
Bene dicta ſurdus auribus præteruolant
Horum ſeuera ſupercilia nihil moror,
Triſtemq́ vultus tetrici arrogantiam.
At ſi quis adſit æſtimator candidus
Qui puriores promouenti litteras
Studeat benignus, & fauore ſubleuet,
Et (quando ab omni parte ſyncerum nihil
Humana gignit mens) leuibus erroribus
Ignoſcat, illi fabulam afferimus nouam
Aut potius hiſtoriam vetuſtam interpolem:
Baptiſta quondam vt regia libidine,
Et inuidorum ſubdolis calumnijs
Oppreſſus, indignam innocens ſubijt necem.
Porrò vocare fabulam veterem aut nouam
Per me licebit cuiq́ pro arbitrio ſuo,
Nam ſi vetuſta eſt ante multa ſecula
Res geſta, veteres inter hæc cenſebitur.
Sin quod recenti memoria viget nouum
Exiſtimemus, hæc erit prorſus noua:
Nam donec hominum genus erit, ſemper nouæ
Fraudes, nouæq́ ſuppetent calumniæ:
Liuorq́ ſemper improbus premet probos,
Vis iura vincet, fucus innocentiam.

Mal-

Malchus & Gamaliel Rabini.

Misera Senectus, & supremi spiritus
Propinqua meta, fataq́ infelicia
In hósne vitæ longioris terminum
Tribuistis vsus seruiente vt patria
Pollutа templa cernerem nefarie,
Profana sacra mista. Vidi imperuij
Arcana fani fracta, sacrum postibus
Aurum reuulsum: quicquid aut Gabinij.
Cupido rapere potuit, aut Antonij
Haurire luxus, perijt: ac ludibrio
Etiam Cleopatræ fuimus (infandum) gulæ.
Ac ne deesset parte ab vlla indignitas
Rex Antipatri semi arabis pronepos
Crudele sceptrum sæuus Herodes gerit.
Iudæa Idumæ seruit, Arabarchæ Sion,
Solyma profano, populus impio Dei.
Tot sortis inter sæuientis vulnera,
In seruitute quamlibet graui tamen
Scintilla quædam dignitatis pristinæ
Adhuc supererat: Disciplinæ & patriæ
Vel qualecunque specimen, ipsis hostibus
Etiam verendum: cæperat victor ferox,
Et purpuratæ non minima pars curiæ
Honore leges prosequi Iudaicas.
Hac recreati spe caput vix tollere

Fessi miserijs cæperamus: quum nefas
Ortum repente est, vnde nullius mali
Metus imminebat. Ecce Baptistes nouus
Non è profanis editus parentibus,
Intérque cultus educatus exteros,
Sed gente noster, genere Leuites, Deo
Primis dicatus vsque ab incunabulis,
Pontificis ipse natus, ipse pontifex
Breui futurus, ni cupitæ gloriæ
Fructus acerbos rapere mallet, quam suo
Maturam honoris legere messem in tempore.
Is ergo ruris deuij solos colens
Solus recessus, sanctitatis tetricæ,
Vulgus fefellit imperitum imagine.
Hirto capillo, terga opertus pellibus
Victu ferino, & id genus præstigijs
In se ora vertit omnium. Plebs credere
Vatem repente redditum mundo nouum.
Et iam sequacis ille vulgi exercitum
Traduxit ad se: iam relictis vrbibus
Hunc populus vnum suspicit: proceres colunt
Reges verentur. Ille, stolidæ insania
Plebis superbus, alter vt Moses, noua
Dat iura: Lymphis expiare crimina,
Adulterare ritibus leges nouis
Audet vetustas: vt furore facilius
Vulgi fruatur, omnibus probris patres

Lacerat, ſecundis plebis vſus auribus.
Quod ſi furentis inſolenti audacia
Latronis huius, nemo ſe conatibus
Opponat, illa celebris orbi ſanctitas
Breui peribit, imo perit, imo perijt.

Gamaliel.

Profeſſionem nil temere noſtram decet
Statuere: mites lenitas decet patres:
Iuuenum temeritati dari venia poteſt.
At nulla noſtram poterit excuſatio
Velare culpam. Paululum da iræ locum
Reſidat impetus, & dolor deferueat.

Malchus

Et tu Gamaliel, hic ſacrilegus quæ facit,
Tua, vt videtur, approbas ſententia.

Gamaliel.

O Malche, Malche, nec probo, aut damno prius
Quam quale quodq; ſit ſciam: quod vatem ad hunc
Spectat, vir adeo (quantum ego audio) malus
Non eſt, nec odio ſic premendus publico.

Malchus.

O ſidera, ô cœlum, ô ſolum. Huic etiam viro
Non deeſt patronus, eſſe qui malum neget.

Gamaliel.

Qui vitia carpit, qui docet mores bonos,
Præitq; primus quam indicat alijs viam,
Hunc eſſe mihi perſuadeas malum virum?

Malchus.

Qui iura ſpernit, qui docet ſectas nouas,
Nouoſque ritus, qui petit conuicijs
Populi magiſtros, Pontificibus detrahit,
Hunc eſſe mihi perſuadeas bonum virum?

Gamaliel.

Si in nos ſeueri & tetrici æquè iudices
Eſſemus, alijs quam ſumus ſæpe aſperi
Minus paterent publicis conuicijs
Flagitia noſtra. Blandiamur quamlibet
Nobis, beati prædicemur, cælites
Vulgo putemur, integri, caſti, pij,
At nemo noſtrum maximis vitijs vacat.

Malchus.

Vt hæc Gamaliel vera ſint, num cuilibet
E plebe fas eſt præſuli male dicere?
Plebs audiat: Plebs pareat: ſit ſobria.
Iniecta fræna non recuſet: qui præeſt,
Plebs ſi quid erret, eam reducat in viam.
Lex ipſe ſibi ſit, ſi quid autem errauerit
Eſt qui ſceleſtum cernat, & plectat Deus.

Gamaliel.

Et tibi videtur æqua lex hæc? Mal. *Maximè.*

Gamaliel.

Quinam? Mal. *Quia propria eſt plebis ignorãtia*
Error, temeritas, imperitia, cæcitas.

Gamaliel.

E plebe

E plebe media ſæpè deprehenderis
Qui principum non ceſſerit prudentia.

Malchus.

Quin ergo cathedra cedimus opilionibus.

Gamaliel.

Opilio Moſes, Opilio Dauid fuit.

Malchus.

Eos erudiuit cuncta ſpiritus Dei.

Gamaliel.

Hunc poterit idem qui erudijt illos Deus.

Malchus.

Nobis relictis erudiet illum Deus?

Gamaliel.

Non ſceptra ſpectat, non parentum ſtemmata,
Decúſve formæ, aut regias opes Deus.
Polluta nullo corda ſed contagio
Crudelitatis, fraudis & libidinis
Hoc ille templo ſpiritus capitur ſacer.

Malchus.

Equidem Gamaliel, fatear vt verum, mihi
Videre pridem ſacrilegam hanc ſectam tua,
Sententia probare. Non poſſum amplius
Celare tacitus, cum tuis maioribus
Indigna facias: qui tueri debeas
Auctoritatem maximè vnus omnium
Noſtram repugnas maximè: idq; in gratiam
Iuuenis furentis: per Deum rogo edoce

Quæ spe ista tentas: aut quid hinc captas lucri?
Forte ille honores, aut opes dabit tibi:
Qui dignitatem funditus nostri ordinis
Euertit omnem, nosque ad inopiam vocat.

Camaliel.

O Malche vero procul aberras a scopo,
Nostram tueri dignitatem si putes
Nos posse fastu, viribus, superbia.
Non hæc parentes ratio nostros extulit.

Malchus.

Vetusta veteres, nostra nos magis decent.
Suique viuat quisque more seculi.

Gamaliel.

Quin potius omnes bona bonos semper decent.

Malchus.

Si quid paterni spiritus nobis foret.

Gamaliel.

Et nos paternis viueremus moribus.

Malchus.

Pœnas luisset morte nebulo hic, non minis.

Gamaliel.

Aliena nostro ab ordine est crudelitas.

Malchus.

Quicquid Deo præstatur, id sanctum & pium est.

Gamaliel.

Morti immerentes impia est pietas dare.

Mal-

Malchus.

Hunc immerentem cuncta qui euertit vocas?

Gamaliel.

Si peccat ille quin palam redarguis?
Quin lumen ingenij exeris illic tui?
Rudem peritus, doctus indoctum, senex
Aggredere iuuenem. Fors reduces in viam:
Et tibi apud omnes comparabis gloriam.

Malchus.

Curanda non est ista plaga molliter,
Sed fune, ferro, & igne: vel si quid scias
Quod fune, ferro & igne sit crudelius.

Gamaliel.

Sit ille qualem dicis, aut peior etiam
Si vis, dare vnum te tamen decet tibi
Vt ante moneas hominem amice & leniter:
Ne malle quisquam præcipitare te putet
Dubium salutis, dexteram quam tendere
Iam pessum eunti: plurimum interest tua
Ad famam, vt omnes inuidi etiam intelligant
Seruare te omnes velle, perdere neminem,
Nisi obstinata mente qui præceps ruat.
Vnum oro saltem, te priusquam longius
Abducat ira, cogita quid assequi
Hac obstinata pertinacia queas.

Malchus.

Nempe illud, hostem vt opprimam, soler bonos,

Dubiosq́ firmem, & impudentes terream,
Legesq́ patrias hoc cruore ſauciam.

Gamaliel.

Quin potius illud aſſequere, vt omnibus
Graſſatus eſſe viribus tyrannidis
Credare, ſanctum donec opprimeres virum,
Ratione quem non potueris conuincere.

Malchus.

Sit ſanctus ille, ſit grauis quantum libet,
Diuinus illum ſpiritus non dirigit
Quando inſtituta priſca patrum negligit.
Et quando apud vos nil reperio præſidij
Contra ruinam regium auxilium petam.

Chorus.

Rectè Gamaliel admonet me iudice.
Et tu monenti obtempera. Sed conſilij
Recti hoſtis ira mentis aciem obnubilat:
Auremq́ monitis obſtruit ſalubribus.

Gamaliel.

Ille abijt ira incenſus, & faſtu timens.
Ego quod licebat ſedulo pro viribus
Monui furentem ſpiritus nixus feros
Lenire verbis mollibus. Fidum dedi
Conſilium: at ille tantum abeſt vt gratiam
Ingratus habeat, etiam vt oderit bene
De ſe merentem. Vulgo ita modo viuitur,
Noſtriq́ cætus vitium id eſt vel maximum,

Qui

Qui ſanctitatis plebem imagine fallimus:
Præceptatuto liceat vt ſpernere Dei.
Contra inſtituta noſtra ſi quid audeas,
Conamur auro euertere aduerſarios:
Tollere veneno: ſubditisq; teſtibus
Opprimere: falſis regias rumoribus
Implemus aures: quicquid animum offenderit,
Rumore falſo vlciſcimur: & incendimus
Animum furore turbidum: & calumnijs
Armamus iræ ſæuientis impetum.
Nullius ille nunc memor modeſtiæ
Graditur ad aulam: comminiſcetur nouas
Sectas oriri, ſacra patrum deſeri,
Auctoritatem regiam ludibrio
Patere: demum quicquid illi commodum eſt,
Honeſta ſceleri nomina obtendens ſuo.
His ſi moueri ſenſerit regem parum,
Inueniet aliud ſæuius telum: in caput
Iurata regis clamitabit agmina
Secreta fieri colloquia: nefarium
Facinus parari: conſilia clàm concoqui:
Cœtus coire nocte: priuatas opes
Per factiones impias augeſcere.
Hæc ille finget, aut atrociora, vt eſt
Animi impotentis, barbaræq; iugiter
Crudelitatis auctor. Hæc in regias
Stillabit aures toxica ingenij ſui

Hoc adeo cunctis penè ſemper regibus
Commune vitium, facile delatoribus
Præbere ſeſe: quo quid eſt crudelius
Fictum facilius creditur: vanos metus
Fingunt ſibi ipſi: mobilis famæ, leuem
Sequuntur auram: qui fideliter monet
Timidus habetur, languidus, torpens, hæbes.
Virtutis olim vertimus iam nomina.
Virtute nulla ſplendidi, ſed ſplendidis
Titulis ſuperbi, fallimus vulgus rude.
Quod ad prophetam ſpectat hunc, modeſtius
Se noſter vtinam gereret ordo, & cautius.
Si miſſus huc eſt ille, conſilio Dei,
Humana poterit nulla vis obſiſtere.
Sin fraude tectum comminiſcitur nefas,
Seſe ipſe gladio ſubito confodiet ſuo.
Interpretetur quiſque pro ingenio vt lubet,
Si quis ſequatur hic meam ſententiam,
Cruore puras ſeruet innocuo manus:
Nec temere ſancti prodigus ſit ſanguinis.
Ne quæ ſtatuimus in alios crudeliter
Exempla, recidant poſtea in noſtrum caput.
Immanitatis non ſat Herodes habet,
Ni facibus iræ ſubditis, accreuerit
Animi furentis impotens crudelitas?

Chorus.

Quanta mortales latebris opacis

Nox

Nox tegit mentes? quibus in tenebris
Degimus lapſu celeri, fugacis
Tempora vitæ?
Occulit falſus pudor, impudentem,
Impium cælat, pietatis vmbra,
Turbidi, vultu ſimulant quieta:
Vera doloſi.
Qui fuit triſti grauitate vultus,
Vnicum vitæ ſpecimen modeſtæ,
AEſtuat præceps furijs, & atrox
Feruet in iras.
Qualis æthnæis vapor è caminis,
Saxa conuoluit celeri rotatu,
Qualis arentem coquit in fauillam,
Flamma ve ſæuum:
Talis hunc, cæcus furor vltionis,
Cogit in vatem ruere innocentem,
Vt truci, nudam male veritatem,
Crimine vexet.
Tu mali tanti, genitrix Cupido,
Gloriæ, vano tumefacta faſtu:
Lausq́ fucati ſpecie ſupernè
Splendida honeſti.
Mentis vt regnum ſemel occupaſti,
Faſcinas blandis animos venenis:
Et relegata ratione, turbas
Pectoris aulam.

Te fugit verum, pietas, pudorq́;
Te fides, & quæ melioris æui
Hoſpes, infames vitijs reliquit
Vltima terras.
Si quis (ô) frontis nebulis remotis
Artifex, nudas daret intueri
Pectoris curas, penitus reuelans
Abditæ cæcum penetrale mentis,
Cerneres miris variata formis
Monſtra, non magno ſtabulare in antro.
Plura quam terris ferat in remotis
Nilus & Ganges, Libyeq́; ſæuis
Fœta portentis, latebriſq; nigris
Caucaſus horrens.
Non ibi tigris rabies cruentæ
Deeſſet, aut fuluæ feritas leænæ,
Non ſitim nulla ſaturata ſtrage
Dira ſæuorum ingluuies luporum
Nec venẽnata baſiliſcus aura
Peſtifer, longumq; ferens ſoporem
Aſpis, & caudæ metuendus vncæ
Scorpius telo, lachrymisq́; fictis
Perſonans ſeram crocodilus algam,
Nec doli vulpis, Phariæq; fallax
Ludus hyenæ.
Ficta crudeles pietas tyrannos,
Impios mores ſtola fimbriata

Celat,

Celat, in panno tenui, recondit
Nuda se virtus, tuguri sub vmbra
Rustici, nec se titulis superbis
Vendit: insanosq; fori tumultus
Ridet, & plausus popularis auræ.
Nec cliens magni foribus patroni
Assidet. Vitæ tacitos beatæ
Rure secreto sibi nota tantum
Exigit annos.

Regina, Herodes.

Tu lentus vsq; auctoritatem regiam
Labare nondum sentis. in tuum caput
Nondum parari cœcus insidias vides.
Nam concitator iste vulgi, si alterum
Supersit annum, vincla, carcerem, cruces
Frustra mineris. iam suas circumspicit
Vires superbus. prosequentum iam grege,
Obscurat aulæ regiæ satellites.

Herodes.

A turba inermi quod times periculum?

Regina.

Secreta si conuenticula fieri sinas.
A genere nullo non timendum existimes.

Herodes.

At hic, ruentem sponte populum ad se, docet.

Regina.

Magis timenda est fusa late factio.

Herodes.

Crimen refellit istud, hominis sanctitas.

Regina.

Hoc tecta velo, sæpe flagitia, latent.

Herodes.

A purpuratis, vis timenda est satrapis.

Regina.

Et a seueris fraus timenda hypocritis.

Herodes.

Inops, inermis, vnda cui sedat sitim,
Dat sylua victum, terra, gramineum torum
Quem cogitare poterit is, scelus dolum?

Regina.

Vides amiculum: & cibum & potum vides.
At quod reclusum pectore gerit, non vides.

Herodes.

Conditio regum misera, si miseros timet.

Regina.

Si nil timendo præda fit, miserrima.

Herodes.

Quid ergo tutum iam supererit regibus?

Regina.

Omnia, quieti si quod obstat, auferant.

Herodes.

Nempe hoc tyrannus interest regi bono,
Hic seruat hostes, hostis ille ciuium est.

Regina.

Vtrumq; durum est, & perire & perdere.
Sed si eligendum est, præstat hostem perdere.

Herodes.

Cum non necesse est alterum, vtrumq; miserũ est.

Regina.

Tanto in tumultu nihil agendum est aspere,
Quum concitatur mobilis vulgi furor:
Leges, religio, auctoritasq; principis
Contempta, plebi est infimæ ludibrio?
Caue, lenitatis falsa species auocet
Tibi mentem ab æquo: quæ videtur lenitas,
Propius tuenti summa erit crudelitas.
Dum parcis vni factioso & perdito
Is perditum omnes, in caput quos hic tuum
Armare satagit: finge fieri, quod fore
Tandem necesse est, concitari mobile
Ad arma vulgus, cuncta passim lugubri
Ardere bello, vasta linqui prædia,
Vrbes cremari, virgines per vim rapi,
Manusq; dubia conseri victoria.
Quum fræna legum ruperit licentia,
Damnabis istam sero tum clementiam.
Atque ecce coram pestis & mali caput.
Hic censor ille est. Hunc roga plura audies
Ni fallor ab eo, fama quam vulgauerit.
Nec miror esse, sceptra qui spernant tua:
Quando ipse, prauos lenitate prouocas.

Herodes.

Quum multa possis facere viribus modum,
Regum bonorum est. Reg. *Itáne, iam sceptris modū*
Hic faciet? huius, regnum habendum arbitrio est.
Si regis esset animus in te. Her. *quin abis.*
Mihi hæc relinque. Reg. *quin abeo, ne denuo*
In os vt ante contumelias feram.
Regina, multa quando cedit infimis,
Quæ spes fouebit æquitatis cæteros?

Herodes.

Iámne abijt? abijt. Hoc agamus interim.
Non est quod id te moueat, aut nouum putes
Si læsa mulier nobilis, diues, potens,
Regina denique grauius æquo irascitur.
Vel ipse testis esse poteris optimus,
Quantum saluti fauerim semper tuæ.
Namq; vniuersæ plebis odium te petit,
Et ad luendas flagitat pœnas reum.
Dolentq; proceres, & sacerdotes fremunt.
Atque adeo quid sit, quod querelam publicam
Incendat, edam breuiter. Omnes ordines
Laceras maledicis concinionibus palam:
Vulgúsque, veterum decipis legum rude,
Lethale spargens dogmatis virus noui:
Et turbulentis vocibus, regni statum
Tranquillitatémque labefactas publicam:
Parere prohibes milites duci suo:

Parere

Parere populum Cæsari, vulgo noua
Dum regna spondes: liberos iugo extero
Fore polliceris, spemq; vana concitas:
Gentem rebellem nec sinis quiescere.
Et calamitatum ceu tulissemus parum,
Romana demens arma rursus prouocas.
Nec dubito quid sis ausus absens, quum palàm
Mihi impudicas exprobraris nuptias:
Et odia populi nixus in me accendere,
Fratremq; mecum prælio committere
Tentaris, in te quod erat. Ac velut parum,
Scelerum patrasses, ausus omnia in omnium
Pariter salutem, bella iam cælo paras:
Et sacra, quibus hoc hactenus regnum stetit,
Abolere tentas. Hæc populus ommis fremit.
Lentumq; legum me queruntur vindicem
Patriarum. at in te durius nihil tamen
A me profectum est: & modo, quicquid fauor
Iudicis amici & beneuoli poterit dare,
Tribuetur a me liberaliter tibi:
Neq; enim tyrannum genuit auidum sanguinis
Vestri, pater me Assyrius, aut Aegyptius.
Et patria, & altrix, & parens eadem mihi
Vobisq; terra est. infima quoties perit
De plebe quisquam, corporis membrum mei
Toties reuelli existimo: meus cruor
Mitti videtur. facilem & æquum iudicem

Herodem habebis. Si refellere cætera
Obiecta poteris, quicquid in me dixeris
Olim, meosq́, gratiam facio tibi.
Tu, teste populo, intelliges iniuriam
Negligere propriam, persequi me publicam.
Vtinam ipse reliqua diluas sic crimina,
Seueritatis, vt mihi nullam tua
Occasionem linquat innocentia.

Chorus.

Hac perge charus esse. Viues posteris
Clarus. Nec auro, nec cateruis militum:
Tam crede regna tuta, quam quæ caritas,
Et æquitate parta defendit fides.

Ioannes.

Tenenda populi frena cui credit Deus,
Audire oportet multa: cuncta credere,
Necesse non est. quæstus, inuidia, fauor,
Timor, dolorq́, sæpe vera supprimunt.
E plebe si quis aut patrum, inclementius
Me credit in se prolocutum quippiam,
Vitam necesse est arguat priius suam,
Orationem quam meam culpet. mea
Hæc ratio semper fuit, vti reprehenderem
Delicta publica publicè. occultè nihil
Facio, doceóve. Non latebras aucupor
Cæcas. nec homines, sed vitia redarguo.
Cum me rogarent milites, quonam modo

Seruire

Seruire posſem pariter & regi, & Deo,
Pulsare vetui, rapere, vim facere, dolo
Circumuenire improuidos, componere
Cupidinem iussi, ad modum stipendij.
Nec spem nouarum prædico rerum, nisi
Quam vos prophetis ex vetustis, creditis
Mecum. Nec vnus interim è tot millibus
Auctore me, qui principem contempserit,
Profertur. Ista, siue fama rettulit,
Seu finxit ira cæca, dum præceps furit
Studio nocendi, nuda facile veritas
Per se refellet. Sacra quam pie colam,
Et instituta vetera, nullum certius
Indicium opinor, quam meorum criminum
Præclarus index, quòd palam non prodeat:
Clam murmuret, vbi facile fit fictis locus.
Quod te negaui, posse fratris coniugem
Habere iure, id ipse tecum cogita
Vtrum placere tibi sit æquius, an Deo.
Atq; vtinam, is animus omnibus itidem foret,
Quicunq; regum sese amicitiæ dicant,
Vt vera malint proloqui ac salubria,
Quam blanda damno mox futura: quot malis
Præclusus aditus esset, & molestijs!
Ego si quid olim liberius, ac verius
Dixi, tu, vt æquum est æquitatis vindicem,
AEqui boniq;, bonus & æquus consule.

Tuæq́ fines hos ſtatue potentiæ,
Menſura legum quos tibi præſcripſerit.
Quod ius in alios hic habes, in te Deus
Aliosq́ reges omnium rex obtinet,
Proinde quicquid de capite ſtatues meo,
Statuere id ipſum crede de tuo Deum.

Herodes.

Quum in aſtra venies, loquere tum cæleſtia.
Terrena iura patere, dum terram coles.

Ioannes.

Terrena vereor regna, pareo regibus,
AEterna patriam regna puto, regem colo.

Herodes.

Res ipſa clamat, regibus quam pareas:
Parere regem qui tuis vis legibus.

Ioannes.

Si ferre leges mihi liceat, edicerem
Parere populos regibus, reges Deo.

Herodes.

Sat litigatum eſt. rurſus hunc abducite.
Perplexa res eſt. Donec cuncta certius
Comperta pateant, ſtat nihil decernere.

Chorus.

Qui de tyranni oratione ſe autumat
Perſpicere mentis poſſe ſenſus abditos,
Næ, turbido ſe credere ſpeculo ſciat.
Vtinam ſecundet cuncta cæleſtis parens:

Sed

Sed ominari metuit animus, quæ timet.

Herodes.

Fortuna regum quam misera sit, & anxia
Nec fando poterit explicare oratio,
Nec cogitando mentis acies assequi.
Nos esse vulgus liberos solos putat,
Solos beatos, quos egestas obsidet,
Formido cruciat, misera seruitus premit.
Quodcunq; populus diligit, cupit, timet,
Audet fateri libere. procul metu
Fruitur modestis opibus. at nobis foris
Persona honesta est induenda, cogimur
Vultu benigno humaniter promittere:
Palam profari iusta: ficto pectore
Differre bilem: supprimere odia in suum
Tempus: minari maximè, cum maximæ
Causæ timoris anxium pectus premunt:
Spernit modestum principem plebs: asperum
Odere. Vulgo seruiendum est mobili,
Et imperandum. nil meo arbitrio gero.
Hunc si prophetam perdo, populum offendero.
Si seruo, regno consulo parum meo.
Quid ergo agendum est? id ne dubium est? imperi
Habenda ratio est. ipse mihi sum proximus.
Si ob sceptra populo seruiendum est, stultius
Quid esse poterit, regna quam pessum dare,
Placere vulgo dum studes? plebs gaudia,

Iras q; temere ſumit, & temere abijcit.
Nunc ſtat, cruore auctoritatem regiam
Stabilire: vulgus facile poſt placabitur.
Si ſerpere malum latius præſens ſino,
Remedia vincet, auſus eſt videlicet,
Mihi impudicas exprobrare nuptias,
In os: id illi impune ſi permiſero,
Non ſtabit illic hominis impudentia.
Iam ſceptra, leges ad ſuas flecti volet:
Iam vincla captis induet. Iam non regi,
Sed regere cupiet, iura regibus dabit,
Confundet imis ſumma. gliſcenti malo
Statim medendum eſt. ante quam creſcat, recens
Flamma opprimenda eſt. contumelias nouas,
Veterem, ferendo, prouocas iniuriam.
Populo ſecundo, ſi expetere pœnas queam,
Populi fauentis gratiam, non negligam.
Si nequeo, regno cuncta ſtat poſtponere.
Quid Malchus iſte garriat de legibus,
Quas curioſas quæſtiones, litibus
Inexplicatis iactet, id nihil mea
Referre credo, modo populus vnam hanc ſciat
Legem tenendam, præter vt leges, mihi
Licere quiduis, eſſe legitimum putet.

Chorus.

O ſpatioſi conditor orbis!
Cuius trepidant omnia nutum,

Cœlum

Cœlum nitidis ignibus aptum,
Tellus vario florida cultu,
Tumidum refluis æstibus æquor,
Nonne ad nostras pertulit aures
Fama, prioris conscia secli,
Aeui splendida facta prioris:
Cum tu, validæ robore dextræ,
Auro atque opibus, regna superba
Ipsa extinxti, a stirpe reuellens,
Illorum vt nos agro insereres:
Agro haud ense aut iaculis nostris,
Aut consilio, viq; parato.
Sed nos cœli fauor omnipotens,
Per fera tutos agmina duxit:
Non tu rex ille Isacidarum?
Non tu gentis Deus Hebrææ?
Cuius ductu, perfida castra
Proculcauimus, hoste perempto:
Non confisi robore nostro
Sed duce & auspice te, præclaras
Sæpe retulimus patriæ palmas.
Nunquid penitus deseris, olim,
Genitor, populum tibi dilectum!
Nunquid fabula linquimur hosti.
Spreta est pietas: religio iacet,
Fraus, purpurea regnat in aula.
Populus, tanquam victima, sanctus

Dat pia ſæuæ colla ſecuri:
Vates pereunt enſe, tyranni
Noſtris gaudent luctibus hoſtes,
Et pietatis ſub prætextu,
Meriti pœnas, regna gubernant:
Meritos regnum pœna coercet.
Exurge, tuo populo fer opem:
Exurge parens optime, & hoſti
Da te talem cernere, qualem
Te viderunt æquore patres
Rubro, Pharios mergere currus.
Qualem vatis fatidici olim
Te puer oculis vidit apertis,
Dantem igniferis fræna quadrigis,
Totis flammas ſpargere campis.
Te caligine pulſa erroris
Humanæ qui lumina mentis
Obruta cæca nube recondit,
Et quæ primo ſole tepeſcit
Tellus, & quæ mergere ponto
Cernit rutilæ lumina flammæ,
Vnum agnoſcat cuncta potentem.

Malchus.

Sic ſe profectò res habent mortalium,
Vt optionem ſi tibi obtulerit Deus,
Incertus erres quid recuſes, quid velis:
Opes, honores, rem tibi & tuis cupis,

Quæ perdiderunt ſæpe voti compotes,
Hoſti imprecaris vincla, carcerem, fugam,
Quæ ſæpe pariunt maximam illi gloriam,
Tibiq; damnum, quod adeo verum meo
Didici periclo, exempla ne longe petam.
Nam cum remotis montium degens iugis
Baptiſta vulgus faſcinaret hic nouus,
Plebisq; ſecum credulæ traheret gregem
Ego Phariſææ dignitatis vindicem
Me præſtiti vnum cæteris cunctantibus,
Nec experiri cuncta deſij prius
Quam dura ſontes vincla preſſerunt manus,
Hoſtemq; carcer publicus compeſcuit.
Aulamq; totam criminum impleui. At nihil
Vt video proſunt vincla, carcer, crimina.
Sic plebis animos occupauit impiæ
Vis dira peſtis, omniumque pectora
Lethale virus perbibere, vt illius
Clades honorent, ingemant periculis.
Quacunque pergo, me execrantur, indicant
Me digito, iniquo me intuentur lumine,
Illi fauetur ſacrilego, qui ſuſtulit
Rerum vniuerſa & ordinum diſcrimina,
Et excubatur ante clauſum carcerem.
Nihil miſerius eſſe nobis arbitror,
Qui nos omiſſis rebus alijs commodo
Populi dicamus, quiſquis illi mancipat

Se, collocatam gratiam ſciat male:
Vt qui maligno ſemper ingenio ſolet
Fauere prauis, optimates ſpernere.
Quo conferam me? quid quærar primum? quibus
Potiſſimum iraſcar? cui opem primum feram?
Pſeudoprophetam populus impius colit:
Muſſant rabini: conniuet rex, negligunt
Proceres. ruentes ſolus his humeris ego
His fulcio humeris patrios ritus, manum
Nullo admouente: publicam ſolus vicem
Doleo quid igitur? deſeram munus? ſacra
Legesq́; prodam, dignitatémque ordinis?
Méque eſſe patiar hoſtibus ludibrio?
Patiar, profecto. Nam quid aliud iam queam?
Ferámne ſolus, ferre quod cuncti abnuunt!
Et me ruinæ publicæ obïciam? Deus
Sua tueatur, quando iam ſic viuitur,
Vt quiſque caueat ſibi, ego mihi ſum proximus.
Si malè gero rem publicam, in meum caput
Ruina verget, qui fauent nunc maximè
Stanti, iacentem calcibus primi petent,
Si bene geram rem, gratiam male collocem,
Nihil parabo, præter inuidiam mihi.
Nunc Gamalielis ſerò conſilium placet,
Niſi forte ſerò nemo reſipiſcere poteſt,
Malo ego requirant hic meam conſtantiam,
Quam re per ætatem temeritatem puniant.

Quod cuiq; visum est sentiant: molestijs
Ego me explicabo, & gratiam resarciam
Hoc cum propheta. nec animi simplex homo
Renuet opinor. Duriorem si mihi
Se ostendet, omnes admouebo machinas,
Ne populus illum credat artibus meis
Perijsse. populum si reconciliauero,
Non vndequaq; cesserit res pessimè.
Atque ipse opinor, ipse nimirum est. vide
Qui cœtus illum sacrilegum sequitur comes.
In vrbe media nos inanes interim
Inter cathedras desidemus. at libet
Audire primum quid magister hic ferat.

Ioannes.

O magne rerum rector, auctor, arbiter!
Te quicquid aër continet laxo sinu,
Quæcunq; tellus educat, quicquid suis
Fretum sub vndis nutrit, agnoscit Deum,
Sentit parentem, legibus semel datis
Obsequitur vltro tramite immutabili,
Iussu tuo, ver pingit arua floribus,
Fruges dat æstas, fundit autumnus merum,
Hyems pruinis vestit albicantibus
Montes, in æquor curua voluunt flumina
Moles aquarum, mare reciprocat vices,
Noctem Diana, Phœbus incendit diem,
Et inquieta lustrat orbem lampade.

Nil denique vſquam eſt ſine cælo, ſeu ſolo
Quod non libenter pareat regi ſuo,
Amet parentem, & officijs quibus poteſt
In conditorem ſtudia declaret ſua.
At ſolus homo, quem cæteris longe magis
Gaudere decuit, & obſequi iuſſis Dei,
Contemptor vnus inter omnes maxime eſt:
Precepta ſpernit, fræna legum reijcit:
In omne præceps facinus it: libidine
Metitur æquum: ponderat ius viribus.

Malchus.

Principia rectè ſeſe habent tibi hactenus.

Ioannes.

Nec tam per orbem deuias miror vago
Errore gentes, quam populum qui ſe Dei
Hæreditatem iactat, & conuicijs
Inceſſit alios, impioſq; clamitat:
Quum nulla, qua ſol cumq; terras aſpicit
Gens orbe toto viuat effrænatius.

Malchus.

Sanè locutus cuncta vere eſſe hactenus.

Ioannes.

Nec iſta vulgi culpa tantum eſt mobilis,
Leuita longe veſte fulgens candida,
Legisq; ſcriba turgidus ſcientia,
Et vos verendi ætate matura ſenes,
Obliquus error deuio flexu abſtrahit,

Vidua,

Viduæ, orphaniq; causa vestra ad pulpita
Succumbit, opprimitq; diues pauperem.
Iniqua iuxta & æqua sunt vænalia.

Malchus.

Disrumpor ira. tacitus hæc vt audiam?

Ioannes.

At vos rabini sanctitate cæteros
Præstare qui simulatis & scientia,
Et vos sacerdotum sacrata dignitas,
Princepsq; sacri pontifex collegij
Decimatis omne terra quod profert holus.
Non vos anethum, menta, ruta, & allium,
Vrtica non vos aut viride fœnum fugit,
At si legendum si docendum scilicet
Responsa vatum, & sanctioris orbita
Monstranda vitæ, vestra demum auctoritas
Est muta, muti non latratis hic canes,
Circumfrementes vestra non ouilia
Lupos abigitis. quid lupos dixi? lupi
Vos estis ipsi vos gregem deglubitis.
Vos lana vestit: lac sitim sedat: famem
Caro: gregem non pascitis: vos pascitis.

Malchus.

Facessat hinc in maximam malam crucem
Concordia. egóne patiar amplius meo
Sic insolenter contumeliam ordini
Fieri? Deus me si ex olympo mitteret,

Hac lege, vt hæc sint audienda, deseram
Mandata potius ista, quam dici audiam.

Malchus.

Durare nequeo vlterius. Heus tu vir bone,
Turbæ magister vnice, hæc nempe est tua
Doctrina? populum incallidum sic instruis?

Ioannes.

Si probus es, ad te haud attinent quæ dicimus.

Malchus.

Ad te, sacerdotem attinet traducere?

Ioannes.

Bene puto dici, cum malis dictum est male.

Malchus.

Parere iuuenem conuenit maioribus.

Ioannes.

Parere cunctos conuenit magis Deo.

Malchus.

Te iussit igitur ista proloqui Deus?

Ioannes.

Iubet profari vera cunctos veritas.

Malchus.

Tacuisse vera sæpe multis profuit.

Ioannes.

Cum scelere iuncta nil moramur commoda.

Malchus.

Scelus videtur in scelus dicas tibi.

Ioannes

Ioannes.

Scelus videtur, tot perire millia.
Spectare, posſim cum reducere in viam.

Malchus,

Reducere? gregis nónne paſtores ſumus?

Ioannes.

Si res quidem eadem eſt paſcere & deglubere.

Malchus.

Rerum tuarum ſatage, noſtra deſere.

Ioannes.

Vicina cum res agitur, agitur & mea.

Malchus.

Quis tandem es oro auctoritate hac præditus?
Túne ille Chriſtus patribus promiſſus es?

Ioannes..

Non ſum. Malc. *Propheta es ille?* Io. *Non ſum.*

Malchus.

Es Helias?

Ioannes.

Nec Helias ſum. Malc. *Si nihil es horum, neq;*
Spes noſtra Chriſtus, nec propheta, nec Helias,
Quinám auctor audes eſſe baptiſmi noui?
Quem te eſſe tandem perferemus? indica.

Ioannes.

Vox ſum in remotis montium clamans iugis,
Viam parate, facite rectas ſemitas
Veniente domino: cuius aduentu cauæ

In plana valles explicabunt se, solo
Saxosa montes culmina æquabunt. ego
In nomen eius abluo populos aquis,
Cui detrahendis seruus etiam socculis
Indignus essem. nemo quem agnoscit, licet
Versetur inter vos, & vsque obambulet.

Malchus.

Quos iste laqueos nectit, atque ambagibus
Eludit? istam quam tibi sic vendicas
Auctoritatem quo probas miraculo?

Ioannes.

Possem ego vicissim te rogare etiam, tuam
Auctoritatem quo probes miraculo?

Malchus.

Vt contumax est, quamlibet cæles, tamen
Quid in furorem te rapiat, omnes sciunt.
Nostra profecto crescere inuidia cupis,
Rem comparare gloriamq; incommodo
Nostro, artibusq; vis potens fieri malis.
Nec decipis nos ipse tete decipis.
Nec primus ista es fallere aggressus via.
Postremus vtinam debitas pœnas luas:
Aut potius animum in melius admonitu meo
Mutes: & auctor vt fuisti errantibus,
Mutatus auctor sis reuertendi in viam.
Vidi seueram veste sanctimoniam
Præferentes, vt facile facerent fidem

Animi

Animi modesti & simplicis, post artibus
Vbi his honores comparassent & opes
Nudare sensim ingenia: probitatem priùs
Bene simulatam propalam contemnere,
Et frœna veris moribus permittere.
Quod si hac honorum tendis ad fastigia
Rerum, imperitum fallit ignorantia.
Non isto ad altam tramite itur gloriam,
Ni me fefellit pessime non pessimus
Magister vsus, & senecta vsus parens
Famæ, reiq; consules melius tuæ,
Si tuta potius appetas quàm splendida.

Ioannes.

Si vera dico, recta facio, cur mihi
Quisquam imperare debeat silentium?
Sin falsa, doctus imperitò id indica.

Malchus.

Horum pigebit, morte quum pœnas lues.

Ioannes.

Isthæc minare fata formidantibus.

Malchus.

Si viuo longum, faxo non lætabere
Hac contumacia. Scies quid sit senes
Negligere, scribas iurgijs proscindere,
Dictis rabinos prouocare procacibus,
Et quando amicos non habere negligis,
Quid possit odium forte cognosces senum.

Chorus.

Ad furta qui se comparat,
Nocturna vitat lumina.
Odit facem sicarius,
Sui furoris consciam.
Puer recusat pharmaca,
Condita amaro absinthia,
Abhorret à salubribus
Vulnus resectum emplasmatis,
Occulta cui mentis mala,
Secreta rodunt pectora,
Huic est molesta veritas,
Quæ cor reuelat turbidum.
At vos seueri hypocritæ,
Quos fronte duros tetrica
Lucrum iuuat nefarium, ex
Errore vulgi creduli,
Quantum libet recondita
Cælaueritis crimina,
Quanuis tegatur sordida
Sentina mentis impiæ,
Vos vestra conscientia
Secreta rodens arguit,
Vos clausus intra viscera
Occultus exest carnifex,
Duro flagellans verbere.
O ter beatum & amplius,

Qui purus animi, ad iudices
Non fit reus domesticos:
Clauso nec in præcordijs
Tortore, semper vapulat.

Malchus.

In rege nulla certa spes est, publicam
Suamq; causam prodidit prauo ambitu,
Populo placere dum studet, dum gratia
Venatur auram, lenitatis imagine
Me plebis iræ nixus est supponere:
Suasq; voluit vindicare iniurias
Meo periclo. Nempe Baptistæ necem
Vt si videret ægrius ferre populum,
Populo paratus capite confestim meo
Litare. populus si tulisset leuiter
Nouæ interemptum factionis principem,
Quod se vltus esset maxima cum gloria
Credi volebat, callide sic exhibent
Alternare reges ciuium de sanguine
Spectacula sibi, & cæde ludunt mutua,
Quodcunque vulgus approbat, sibi vendicant:
A se patratum prædicant: laudi suæ
Nostri laboris arrogant industriam,
Popularis aura si fauoris flexerit
Secus ac putabant & petebant, transferunt
Culpam in ministros: & cruore innoxio
Animaq; vili crimen auertunt suum,

Supereſt doloris ſola noſtri particeps
Regina, tigris orbaceu catulis furens,
Baptiſta thalami quod prioris fœdera
Polluta coram rege non probauerit:
Palamq; vetitos lege damnarit toros
Cum vxore fratris. Flamma dum recens calet
Iræ æſtuantis, turbidæ menti faces
Supponam: alamq; commodis ſermonibus,
Atque ecce ſeſe in tempore offert commode.

Chorus.

Nunc flamma flammæ, toxicum nunc toxico
Accedit: inſtat vltimum periculum.

Malchus.

Regina ſalue ſplendidum gentis decus,
Et ſola regni digna tanti culmine.

Regina.

Et tu rabine Malce, ſed quid triſtis es?

Malchus.

Idem quod animum vt arbitror pungit tuum.

Regina.

Fort aſſe, ſed tu quid ſit ede apertius?

Malchus.

Ecquid animo æquo fers dignitatem tuam
Sperni? per orbem ſacroſanctam regij
Auctoritatem nominis vileſcere?
Et ſceptra vulgi ſubijci ludibrio?

Regina.

Regina.

Quid ergo faciam? quod remedium sit doce.

Malchus.

Iras & animis, & tuis natalibus,
Thalamisq; dignas corde tandem concipe.

Regina.

Iandudum id actum est, rumpor ira, lachrymo,
Obiurgo, clamo. Sed nec ira & lachrymis
Promoueo quicquam. verba venti dissipant.

Malchus.

Si auctoritate qua decet apud coniugem
Esses inultas sic tuas iniurias
Tulisset, aut vt verius dicam, tuas?

Regina.

Studia ipse populi Malce cernis. Forsitan
Hac rex putauit posse pœna spiritus
Acres retundi, & mitigari audaciam.

Malchus.

Tu si feroces spiritus coercitos
Putes latroni huic vinculis & carcere,
Erras. Ferarum sæuit acrius furor
Quas fracta fudit cauea, quam quas deuijs
Silua alta semper educauit montibus.
Quid liberatus non aget, cuius colit
Nunc vincla populus? prouocata accenditur,
Non mitigatur ira. contumelijs
Elatus animus ad furorem impellitur.

Regina.

Quin lenietur potius hoc beneficio,
Quod qui perierat pertinacia ſua,
Sit liberatus regia clementia.

Malchus.

Quod tu beneficium, ille putat iniuriam
Seſeq́ vinctum quam ſolutum ſæpius
Per te meminerit. Reg. *Aſperum ingenium refers.*

Malchus.

Id pene cunctis inſitum eſt mortalibus,
Quod bene patraris gratia ilico perit,
Quod male patraris nullus obliuiſcitur,
Odêre cuncti propemodum beneficia,
Quorum memoriæ iuncta ſunt maleficia.
Baptiſta quoties memor erit meriti tui,
Meminiſſe toties ſceleris eum ſui puta,
Se ſcelere credet non ſolutum, ſed tuo
Animo nocentem, liberum prauo ambitu,
Pœnam remiſſam, in tempus iram ſupprimi.

Regina.

Ingenia ſæua mitigat benignitas.

Malchus.

Longo quod vſu in peius vſque induruit,
Multo facilius fregeris quam flexeris.

Regina.

Quin ergo dubiam, quid ſit è re præmones?

Mal-

Malchus.

Reddam expedita hæc facile si credas mihi.

Regina.

Modo præmoneto, nulla erit per me mora.

Malchus.

Quærendo, agendo, prouidendo, haud ocio
Res magnæ aguntur. Reg. *Si nihil promoueris*
Quærendo, agendo, prouidendo, non magis
Præstat quiesse; quam negocium vt tibi
Fruſtra facessas, & alijs sis risui.

Malchus.

Quod sæpe vis non perficit, vincit labor.
Nec alta quercus icta subito sternitur:
Nec vertit aries bellicus primo impetu
Muros. frequenter quæ putaris perfici
Non posse, tempus expedit: quæ non potest
Plerumq; ratio, expugnat importunitas,
Proinde prensa: lachrymis misce preces:
Irasq; monitis: blanda dicta iurgijs,
Ambi maritum sedulo omnibus modis.
Occasiones vsquequaq; amplectere.
Si peragi aperte res nequit, tendas dolos,
Quod spectat ad me, certa stat sententia
Nisi re peracta, neutiquam desistere.

Chorus.

Tandem liuor, & impijs
Accensus furijs dolor

Vires ſæuitiæ ſuæ
In vatem exeruit pium,
Illinc ſæua calumnia
Diræ iunctatyrannidi,
Pugnat fraude nefaria,
Hinc innoxia veritas
Nullo fulta ſatellite,
Spernit terrificas minas,
Tot telis petitur caput
Vnum. tot pariter doli
Intentant iuueni necem,
Ille vt tunſa furentibus
Ilex dura aquilonibus,
Aut rupes remeabili
Quam fluctu mare verberat,
Nullo concutitur metu.
O numen venerabile
Cunctis candida veritas!
Quam nec bellica vis metu
Nec fraus inſidijs poteſt
Firmo pellere de gradu.
Sola non metuis graues
Fortunæ inſtabilis vices.
Non obnoxia caſibus
Vllis pectora robore
Armas inſuperabili,
Et vitæ dominam & necis

Parcarum

Parcarum indomita manum,
Nobis esse uetas grauem.
Sed cesso vatem conuenire, nuncio
Vt impleam aures omnium miserrimo.
Atque eccum ante ipsas carceris stantem fores,
Propago sanctis sanctior parentibus,
Et innocentiæ vna pristinæ fides,
Incolumitati dum tempus sinit tuæ,
Consule. Rabinus Malcus intentat dolos
Occulte. inops regina consilij furit,
Blanditur aula. rex suam sententiam
Dissimulat. alij vera mussant dicere,
Iam tempus instat vltimi discriminis.

Ioannes.

Quid est pericli? Chor. *Mortis vrget terminus.*

Ioannes.

Hæc summa nobis imminentis est mali?

Chorus.

Quo nullum in hominem cadere possit amplius.

Ioannes.

Vt vis tyranni cesset, ac dolus, feret
Hanc sponte nobis temporis longinquitas,
Prauo timendam, at innocenti optabilem.

Chorus.

At tu salutem negligas tuam licet,
Te ratio nostri tangat. istos spiritus
Paulum remitte, precibus animum regium

Flecte. per amicos non inexorabilem
Spero futurum. Io. *Sedulo nónne hoc ago?*

Chorus.

Vtinam tibi istam præbeat mentem Deus.

Ioannes.

Nihil precari est opus. is animus iam diu est.
Explere properat rex meo iram sanguine.
Nec ego recuso. qui magis regem queam
Placare, quam quum volumus eadem & nolumus?

Chorus.

Bona verba. Io. *Quid igitur mihi auctor es? duo*
Reges vtrinque facere pugnantia iubent:
Cœlestis alter, misericors, clemens, bonus:
Terrenus alter, impotens ferox, malus.
Mortem minatur alter: alter me vetat
Mortem timere. Pollicetur præmium
Vim non timenti. Corpus alter perdere
Potest: at alter corpus vna & spiritum
Torquere flamma poterit ineuitabili.
Hi quum repugnent, consule vtri paream.

Chorus.

Placare nunquam postea Herodem datur,
Oblata si nunc prætereat occasio:
Dei sed ira semper est placabilis.

Ioannes.

Diuina quanto sæuit ira lentius,
Hoc mota pœnas exigit seuerius.

Chorus.

Chorus.

Sic fata ſpernis, quæ Deus mortalibus
Timenda voluit eſſe? néve corporis
Animiq; ſanctum dirimeret conſortium
Oblata temere cauſa, vinclo mutuo
Amoris animum corpori connexuit.

Ioannes.

Non ſperno mortem: at morte momentanea
Fugio perennem: quem Deus lucis mihi
Conceſſit vſum reddo repetenti libens.

Chorus.

Itáne relinquis orphanos parens tuos?

Ioannes.

Nunquã orphanus erit, qui Deum credit patrẽ.

Chorus.

Nil te propinqui nil amicorum mouent
Lachrymæ, impotenti quos tyranno deſeris?

Ioannes.

Non deſero, ſed potius ab eis deſeror.
Namq; inſtitutam ab initio mundi viam
In fata curro. Nempe lege hac naſcimur,
Quicunq; lucis fruimur almæ munere
Conditio cunctos vna cohibet, tendimus
In mortem: eo nos ſinguli ducunt dies,
Mortem eſſe pœnam voluit improbis Deus,
Bonisq; portum: terminum longæ viæ,
Ad longioris vitæ initium ianuam,

Quæ nos perennis ſplendidam ad lucis domum,
Mittat renatos veriùs quam mortuos,
De carcere hic eſt exitus mortalibus:
Et ad carentem morte vitam tranſitus,
Hac vniuerſus præijt cœtus patrum:
Cuncti ſequentur. quis vbi liquit carceres,
Non curſor animo rapitur ad metam? freto
Quis æſtuoſo nocte tenebroſa vagus
Portu recuſet ſe quieto condere?
Quis exul errans per peregrini ſoli
Deſerta teſca, doleat in patriam cito
Seſe reuerti? lætus ergo tramite
Decurſo ad ipſam ſtare metam me puto.
Iam prope peractæ liber è vitæ freto
Proſpicio terram, de peregrino ſolo
Domum reuertor, optimum primum patrem
Viſurus: illum nempe patrem, qui ſolum
Reuinxit vndis: induit cœlum ſolo:
Regitq́; certas mobilis cœli vices,
Seruator, auctor, rector vnus omnium,
Cui cuncta viuunt viua iuxta ac mortua.
Vt flamma ſurſum ſponte voluit vortices,
Vndæ deorſum perpeti lapſu ruunt,
Propriumq́; pergunt ire cuncta ad fomitem,
Iamdudum anhelat ſpiritus cœlo editus,
Rerum ad parentem lucis æternæ incolam,
Quem contueri eſt vita, mors non cernere.

Non si pruinis obstet horrens caucasus,
Aer procellis, vnda tempestatibus
Tractusq; nimijs inuitus caloribus
Eo ire pergam? non tot vt videam duces,
Reges, prophetas, iudices pios, via
Rumpenda, vel si mille mortes obstruant?
Ergo recluso corporis de carcere,
Eo euolare spiritus liber cupit,
Quo cunctus ibit orbis serius ocyus.
Nam longa vita nil opinor aliud est,
Quam lenta duro seruitus in carcere.
O mors laboris vna laxamen grauis!
O mors doloris portus, & mali quies!
Notumq; paucis commodum mortalibus,
Formido prauis, & bonis votum, tuo
Sinu recepta naufragum hoc corpusculum,
Et sempiternæ duc quietis in domum,
Quo non sequetur vis, dolus, calumnia.

Chorus.

O te beatum hac pectoris constantia!
O nos miselos, quos iners animi metus,
Felicitatis priuat hoc consortio!
Quando igitur ipse quod opus est facto tenes,
Salue valeq; sempiternum dicimus.
Quam discors hominum tramite dispari
Versat lis animos? non metuit mori
Qui nil commeruit, qui meruit mori,

Si vanis leuiter mors crepuit minis,
Exanguis trepidat degeneri metu,
Quam mortem fugiunt grauiter improbi.
Per flammas, per aquas, saxaq; deuia,
Tam mortis cupidi præcipitant boni
Illustres animas dura per omnia.
Nempe ignota malis commoda mors habet.
Et fati comes est vita beatior:
Nec toti morimur: sed melior rogos
Nostri pars auidos spernit, & æthera
Sublimis patrium scandit: & igneos
Inter cælicolas certa animas manet
Sedes innocuas. at male conscios
Manes exagitant sulfureo in lacu
Crinitæ colubris Eumenides nigris,
Et ieiuna auidi guttura cerberi,
Et nunquam saturi copia Tantali.
Hinc formido malis: Hinc bona spes bonis:
Et vitæ fragilis prodiga pectora
Dum vitam properant infragilem sequi,
O Syren magicis illecebris potens,
Et fallacis amans vita fugax boni,
Tu nobis teneris blanditijs mali
Vicinum effugium claudis: & obstruis
Portum perpetuæ pacis amabilem:
Nullus terror vbi martius increpat:
Nec rauco reboant classica murmure,

Nec pirata rapax æquora territat:
Nec latro tacitum trux nemus obsidet:
Nec sceptri misera prædo cupidine
Insanus populis exitium creat:
Nec Felix placido solus vt ocio
Torpescat, tenues cladibus obruit:
Nec viles animas qui miserabilis
Vulgi pro titulis mutet inanibus,
Sed tranquilla quies, almaq; faustitas,
Et simplex probitas omnia possidet.
Et ferri in tenebras indocilis dies:
Et vita alterius nescia funeris:
Et luctus queruli nescia gaudia.
O dulce hospitium corporeæ domus!
Et vitæ nimium carcer amabilis
Iam tandem magicis exue nexibus
Mentem cæligenam, quam patriæ suæ
Oblitam gremio amplecteris ebriam
Lethes somniferæ deside toxico,
Et lætam thalami degeneris iugo.
O fallax lutei tegmen amiculi,
Vanesce in cineres rursum abiens tuos!
Vt rursus patrio reddita mens polo,
Puri se radijs luminis expleat.
Et te pestiferis morte laboribus,
Et mentem anxiferis solue molestijs.

Regina.

Phariſæus igitur ſpem fefellit: rex pari
Se vanitate pariter & me prodidit.
Vulgi loquacis dum timet rumuſculos.
Formido miſere, nata quid rerum gerat.
Saltationis nuper in conuiuio
Cui rex frequenti præmium ſpoſponderat
Quodcunq; peteret. illa Baptiſtæ caput
In lance pepigit ſe petituram, & feret,
Feret profecto, niſi parum notus mihi
Sit regis animus. Liber inuidia, necis
In me odia populi vertet vt reor libens,
Et ego peracta re, libenter id feram.
Odium vltionis gaudio, maculam lucro
Penſabo, turpe eſt eſſe atrocem fœminam.
Turpe: niſi reges eſſe multos, turpius
Foret. Sed ambo proferunt pedem domo
Rex & Puella. quo proprior eſt ſpes metus
Hoc grauius vrit, cuncta fortunet Deus.

Herodes. Puella. Regina.

Deliberatum quid rogares iam tibi
Satis videtur? Puel. *ſic ſatis, ſi quidem ſatis*
Promiſſa regum certa ſint, & regia.

Herodes.

Ne metue firma: teſtibus coram, fide
Sancita, regni poſce dimidium mei
Vel ſiquid animo carius regno eſt tuo,

Feres. volentem nulla vis auerterit.

Puella.

Istud breui iam quale sit videbimus.

Herodes.

Iam posce, certum est. Puel. *nil opus regno tuo*
Mihi est, quod æquè, rege te, meum reor,
Ac si ipsa teneam. rem facilem & æquam peto.

Herodes.

Non ego, sed ipsa ne feras tibi in mora es.

Puella.

Da in hac recisum lance Baptistæ caput.

Herodes.

Quod verbum ab ore temere tibi virgo excidit?

Puella.

Non temere. Her. *donum virgini indecens petis.*

Puella.

Non indecorum est facinus hostem perdere.

Herodes.

Hic igitur ira dignus hostis regia est?

Puella.

Is dignus ira est, scelere qui hanc meruit suo.

Herodes.

Quod nunc remedium plebis odio reperiam?

Puella.

Parere populi est, imperare regium.

Herodes.

AEqua imperare regium est. Pu. *quod iniquũ erat*

Prius imperando facere rex æquum potẽst.

Herodes.

At imperandi lex facit regi modum.

Puella.

Si principi quod placuit est ius, iam modum
Non regibus lex, legibus sed rex facit.

Herodes.

Pro rege fama me tyrannum perferet.

Puella.

At sceptra metuit. Her. *Metuit: & garrit tamen.*

Puella.

Compesce ferro. Her. *Regna male seruat metus.*

Puella.

Et regna vertit facile scelerum impunitas.

Herodes.

Securus est, quem ciuium seruat fides.

Puella.

Necesse reges est timeri, diligi
Necesse non est. Her. *Odia crudelem premunt.*

Puella.

In rege vulgo lenitas contemnitur.

Regina.

Hæc tota opinor tendit huc oratio,
Promissa vana vt effluant. Nondum mihi
Regum videre nosse quæ sint munera
Si honesta credis esse regi, & turpia,
Quæ honesta vulgus credit esse & turpia,

Falleris: amici, proximi, ſocer, gener,
Fratres, ſorores, ciuis, hoſtis pauperum
Sunt vincla: vana regibus vocabula.
Diadema quiſquis induit capiti ſemel,
Vulgaris omnes ponat officij gradus.
Nil arbitretur turpe, quod regi vtile.
Nullum indecorum facinus eſſe exiſtimet,
Suæ ſalutis quod facit cauſa. Salus
A rege populi pendet, igitur conſulit
Populi ſaluti, quiſquis in regem eſt pius.
Tantíne ſanguis huius erit homunculi,
Vt tu diebus ſollicitus ac noctibus,
Non conquieſcas? deme nobis hunc metum,
Sceptris pudorem, vaſtitatem mœnibus
Armis rapinas, ciuicum bellum omnibus,
Statuere magno oportet exemplo & nouo,
Vt ſacroſancta regna ſint mortalibus.
Scelus patrauit: ſcelere peſſum eat ſuo.
Si nil patrauit coniugi pereat tuæ.
Da coniugi hoſtem. coniugem ſi negligis,
Promiſſa redde filiæ rex & parens.

Herodes.

Promiſſa certum eſt optima reddere fide,
At illa ſi me conſulet ſapientius
Optabit. Reg. *At ſi conſulet me, ne tua*
Conſilia mutet. Her. *Itáne? ſic ne oportuit*
Iuraſſe temere? ſic puellæ me meam

Obstringere fidem? sic salutem, regnum, opes,
Vitam, necemq; fœminæ committere?

Regina.

Promissa regum, certa firmet veritas.

Herodes.

Quando negare non licet, quod modo licet,
Admoneo rursum, & oro ne quid sanguine,
Sexuq; vestro & regio culmine parum
Dignum, patrare cogat iracundia.

Regina.

Hæc mitte, nostræ linque curæ cætera.

Herodes.

De vate si quid statueritis durius,
Vestra illa culpa, vestrum erit periculum.

Regina.

Iam vindicata dignitas est regia,
Ne pateat vlli in posterum ludibrio,
Iam faxo populus peruicax de regibus
Loqui modeste, vel malo discat suo:
Et siue reges æqua, iniquáve imperent,
AEquo ferenda populus animo omnia putet.

Chorus.

Dauidis regnum, Solymæq; turres
Et locupletis Solomonis arces
Vnde tam dirus furor in prophetas?
Sanguinis iusti sitis vnde sæua?
Quam decet normam pietatis esse,

Vnicum est vitæ specimen scelestæ.
Furta, vis, cædes, dolus, & rapinæ
Sunt tuæ tirocinium palestræ.
Non sacerdoti pietas nefandis
Fraudibus suadet cohibere dextras,
Cultor idoli populus reliquit
Omnium rerum dominum & parentem.
Pro Deo lignum colitur, lapisq;,
His calent aræ vitulis & agnis.
Et suæ dextræ simulachra adorat
Artifex: vitam sine lege truncum
Poscit, a muto eloquium precatur,
Pauperi diues, dominus ministro
Supplicat: ritus pereunt vetusti,
Te prophetarum cruor innocentum
Iudicis magni rapit ad tribunal,
Pauperes clamant, viduæq; cælum
Quæstibus implent.
Ergo te iustæ manet vltionis
Pœna, non mendax nisi fallor augur.
Namq; qui fastus premit insolentes
Arbiter cæli, maris, atq; terræ
Spectat ex alto, lachrymasq; plebis,
Et preces tristes meminit, manuq;
Vindice infandi sceleris propinquas
Exiget pœnas, quibus intumescis
Insolens victor tibi vertet arces.

Barbarus miles tua possidebit
Prædia: externo domino refundet
Vinitor fructus tuus: alta qua nunc
Surgit in cœlum Solomontis ædes
Exterus messem faciet colonus,
Ergo dum præbet tibi pœnitendi
Numinis fauor spatium, relictis
Turpiter vitæ vitijs peractæ,
Exteri ritus simulachra pelle,
Et sitim fraterni auidam cruoris,
Et famem argenti cohibe profanam,
Sed nec exactæ male pœnitebit
Te tuæ vitæ, neque sacra ab æde
Exteri ritus simulachra pelles,
Nec sitim fraterni auidam cruoris,
Nec famem argenti fugies profanam.
Ergo te pestis vitiosa carpet:
Te fames, bellum, macies, egestas
Opprimet, donec merito rependes
Sanguine pœnas.

Nuncius, Chorus.

Quis indicabit vbi reperiam gentium
Comites prophetæ nuncium vt tristem feram?

Chorus.

Nisi forte properas, siste paulisper gradum.
Eloquere paucis. Scire quid feras iuuat.

Nuncius.

At

At non iuuabit ſciſſe, ſcire quod cupis.

Chorus.

Vt vt ſe habent res, ne moram inuide breuem.

Nuncius.

Sciſti puella ab rege quid petiuerit.

Chorus.

In lance vatis ſibi caput cæſum dari.

Nuncius

In lance vatis abſtulit cæſum caput.

Chorus.

O facinus atrox! ille cæleſtis vigor,
Decusq́ vultus morte triſti emarcuit.
Et ora nuper plena ſacro numine
Clauſit perenni dira vis ſilentio.

Nuncius.

Quid fles? inanes mitte queſtus fundere.

Chorus.

Quum flenda videam & audiam, flendū negas.

Nuncius.

Si flenda mors eſt, mortuos illi fleant
Quorum ſepultæ ſpes iacent cum corpore,
Qui poſt ſoporis terminum breuiſſimi
Redituras membra non putant: & alteram
Superesſe vitam. Mortuos miſeri fleant,
Miſerosq́ tantum. Neminem facere poteſt
Fortuna miſerum: ſimilis inſontem licet
Sontemq́ maneat terminus vitæ, tamen

Male morietur nemo, qui vixit bene:
De genere miseros exitus si iudices,
Miseros putabis tot patres sanctos, quibus
Crux, ensis, vnda, flamma clausit spiritum.
Nam veritatis qui satelles occidit
Pro religione, patrijsq; legibus,
Omnibus illum prosequi bonis decet,
Votisq; vitæ poscere similem exitum.

Chorus.

Vere profecto es elocutus omnia,
At nos opinio, quos & errores trahunt
Dum fata fugimus, fata stulti incurrimus.
Ignis pepercit, vnda mergit, aëris
Vis pestilentis æquori ereptum necat.
Bello superstes tabidus morbo perit.
Differre, non vitare fata dat Deus,
Et fœneramur mortis in dies moras
Morbis, periclis, luctibus, molestijs
Nec longa vita est aliud, ac longi mali
Cathena, mortis nexa ad vsque terminum
Serie perenni. Nec ligati hoc vinculo
Seruire miseri nos putamus: exitum
Quam seruitutem potius exhorrescimus.

FINIS.

SACRORVM CARMINVM SYLLOGE,

In qua continentur

MESSIADOS LIBRI IIII.

collecti ex quatuor Euangeliſtis:

Item HYMNVS in laudem TRINITATIS, cum GRÆCA PARÆNESI AD PIETATEM,

Auctore IOANNE FVNGERO, L.F.

LVGDVNI BATAVORVM,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciſcum Raphelengium.
cIↃ. IↃ. XCI.